



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Scala Jacob

Lindeborn, Jan

Antverpiæ, 1666

Pars 7. de Necessitate Meditationis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-49085](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-49085)

P A R S VII.

De Necessitate Meditationis.

Serm. 1.
de S. An-
drea.

Epist.
142. c. 2.
apud Au-
gust.
Rom. 12.
1.

CONSTAT ex sacris Literis duos à Deo Israëlitis
 è servitute Ægyptiaca liberatis in terram pro-
 missionis datos esse Duces, Moysen scilicet & Aaro-
 nem, Moysen Legislatorem & Aaron Sacerdotem:
 iisdem indiget Anima è seculi conversatione ad perfe-
 ctionem ingressura adumbratis in Moyse & Aaron,
 Meditatione scilicet & Oratione, Meditatione quæ
 doceat quidnam declinandum & quonam prope-
 randum, Oratione quæ vires ad ambulandum ac-
 quirat. *Illam viam ostendit, ex S. Bernardo, ista dedu-
 cit, meditatione agnoscimus imminetia nobis pericu-
 la, oratione evadimus.* Utilitatem Meditationis pro-
 posui in Parte præcedenti, in hac autem agam de
 ejusdem Necessitate, & ut illam ibi Virgini utilem
 dixi, eam hîc eidem ostendam summè necessariam:
 est namque famula Dei, nostratium idiomate dicta
 een *Maeght* / non ob solam carnis integritatem,
 sed vel maximè quòd ex vi Status obstricta & manci-
 pata sit famulatui divino: nonne necessarium, ut quæ
 famulantur aliis, sæpiùs agant cum iis quibus ancil-
 lantur, ut discant quid velint quidve nolint? aliorum
 imperium & sensum sequantur necesse est, quæ iis se-
 fe elocarunt: idem in Virgine locum habet: monet
 proinde Autor Epistolæ ad Demetriadem: „Prima
 Virginis cura primumque studium sit scire volun-
 tatem Domini sui, & quid ei placeat, quidve dis-
 pliceat, diligenter inquirere, ut secundùm Apo-
 stolum *rationabile* Deo reddat *obsequium*, totum-
 que

que vitæ suæ cursum ex ejus possit ordinare sententia. Impossibile est enim ei quenquam placere, cui quod placeat ignorat, fierique potest ut etiam obsequendi voto offendat, qui quomodo obsequi debeat ante non didicit: & ut majus est voluntatem Domini facere quàm nosse, ita priùs est nosse quàm facere, illud enim merito præcedit, hoc ordine: unde Propheta dicit: Et tu Israël noli ignorare. Et Beatus Paulus: *Qui autem ignorat ignorabitur.* Itemque alibi: *Propterea nolite fieri imprudentes, sed intelligentes quæ sit voluntas Domini.* In initium obedientiæ est quid præcipiatur velle cognoscere, & pars est obsequii didicisse quid facias. Ubi autem cognoscet sensum Domini sui nisi in Meditatione? ibi namque familiariter agit & conversatur cum eo: præscriptum id mihi videtur in Apologia Christi pro Mariâ contra Martham: *Ille sedens secus pedes Domini audiebat verbum illius, hæc autem satagebat circa frequens ministerium, quæ stetit & ait: Domine non est tibi curæ, quòd soror mea reliquit me solam ministrare? Dic ergo illi ut me adjuvet. Cui Dominus: Martha, Martha, sollicita es, & turbaris erga plurima, porro unum est necessarium, Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea in æternum.* Nonne hîc Dominus contra Marthæ querelas Mariæ otium defendendo, quæ verbum ejus audiebat, illiusque sollicitudinem quodammodo reprehendendo, approbavit, ut pedibus ejus affideat verbum ejus auditura quæ bona famula erit? omninò sanè: nonne & taxat eas, quæ in exteriora opera effusæ ad interiora non convertuntur, non ad sensum Domini, sed juxta suum proprium eidem famulantes? Porro

1 Cor. 14:

38.

Ephes. 5:

17.

Luc. 10:

unum est necessarium, ut, quæ Domini voluntatem faciet, eam in Meditatione audiat. Ibi audiet quid in animæ domo expurgandum, tot nempe vanæ cogitationes quæ ibi morantur, iracundia quæ proximum lædat, vindicta quæ lædenti talionem minetur, invidia, superbia, murmuratio, detractio, & similes sordes quàm plurimæ: ibi reprehensiones audiet quòd tam segnis sit & tarda, quodque res Domini sui negligat, sæpiùs excurrat, tempus otio & otiosis confabulationibus consumat: ibi instructionem accipiet de rebus in Animæ domicilio parandis & comparandis, modestiâ scil. prudentiâ, mansuetudine, sobrietate, humilitate, obedientiâ, Dei proximique dilectione, patientiâ aliisque pluri-

Ps. 92: 5. bus. Nam ut ait Psalter: *Domum tuam decet sanctitudo Domine in longitudinem dierum*: etenim eum in finem is ejus operam conduxit, ut in animæ domo sit ad ejus servitium. Eam expurget, custodiat, exornet ejusque ministerio tota vacet: *Mulier innupta & virgo cogitat quæ Domini sunt, ut sit sancta corpore & spiritu.* Certa sis eum accuratum esse Oeconomum, bonamque hujus domus agere curam, attentum ad singula quæque: at quòd omnia debitum non fortiantur effectum, defectus est ex parte ancillarum ejus jussa non exequentium, quas tolerat inter suas spe melioris servitii vel etiam subinde tanquam incorrigibiles dimittit.

Servietis autem Deo ad nutum & sensum ejus: aures vestras ei in Meditatione præbeatis necessarium est: petite ut vos edoceat quid velit, & quomodo velit ministerium vestrum, quod quæ negligunt eas *Seraphica Theresia* comparat uxori *Lot*, quæ ad Domi-

*in Castello
Anima.*

ni mandatum non attendens, neque ante se prospiciens sed respiciens, conversa est in Statuam Salis: *Respiciensque uxor ejus post se versa est in Statuam Salis.* Gen. 19: 26. Ut autem illa Statua similitudinem ejus retinuit, ita & nomen tantum & speciem retinent illæ Virgines, quæ non attendunt ad Dominum neque ad se, sed ad exteriora respiciunt, indurescunt in vitiis suis & frigescuut in dilectione Dei: & ut hujus sceminae metamorphosis pœna fuit inobedientiæ suæ, ita & illa Virginum, in quas depluit Dominus illud Psalmographi: *Obscurentur oculi eorum ne videant, & dorsum eorum semper incurva:* quibus proinde congruit illud quod submersis Ægyptiis cecinit Moyses: *Extendisti manum tuam, & devoravit eos terra.* Pf. 68: 24. Exod. 15: 12.

Neque solum est Ancilla, sed &, ut c. I. ostendimus sapius, est Sponsa Christi: *Despondi vos uni viro Virginem castam exhibere Christo,* ait Apostolus, 2. Cor. 11: 2. consummabuntur autem nuptiæ in futuro seculo, quando erit Deus omnia in omnibus. Nonne conveniens imò & necessarium interim Sponsam familiariter cum eo agere, audire quid ad ulteriorem ornatum requirat? quare ad id exhortatur Vates: *Audi filia & vide, & inclina aurem tuam, & obliviscere populum tuum, & domum Patris tui, & concupiscet Rex decorem tuum: quoniam ipse est Dominus Deus tuus. Audi filia & vide. Audi quid velit à te, & vide quomodo id exequaris. Inclina aurem tuam parum est; audi, humiliter audi,* inquit S. Augustinus. *Obliviscere populum tuum,* id est, vitia & passiones tuas quibus assuevisti, & innutrita es, eis subtrahe affectum tuum & consuetudinem; *& domum patris tui,* mundum scilicet & mundana omnia: admittis

hoc consilium? & admittes facilè, dummodo præbeas aures attentas, *Concupiscet Rex decorem tuum, quoniam ipse est Dominus Deus tuus.* „ Jam vide, si „ non debes dimittere patrem tuum illum, & populum tuum illum, (commentatur hîc S. Augustinus), „ & venire ad Regem istum Deum tuum. Deus tuus „ est, Rex tuus est, Rex tuus & ipse est Sponsus „ tuus. Regi nubis Deo ab illo dotata, ab illo decorata, ab illo redempta, ab illo sanata: quicquid „ habes, unde illi placeas, ab illo habes. *Audi igitur & vide*, sed ubi commodiùs audies, & videbis quàm in Meditatione? ibi namque te ei præsentem sistis, ut agas cum illo de iis quæ te & illum concernunt: quando oras sola loqueris, in Meditatione autem & illi vices suas concedis, audis eum ibi loquentem in te, & tu alloqueris illum: ipsemet hoc

c. 2. vers.
14.

à te requirit in Canticis: *Ostende mihi faciem tuam, sonet vox tua in auribus meis, vox enim tua dulcis & facies tua decora.* Gratum namque id ei alloquium, gratissima hæc ei conversatio & familiaritas. Si autem Sponsa Sponsi sui præsentiam non delectetur, nec alloquiis ejus afficiatur, illius erga eum aut nullus aut valde exiguus est amor: talem & tuum existima erga Deum tuum si per Meditationem ejus præsentiam non suspires, ad alloquia non anheles. Quid diceres, si illa non apud eum sed apud alienos procos delictetur? idem statuendum de te, si non interior devotio sed cordis evagatio te afficiat, si non Creator sed creaturæ tibi præbeant delicias: dicet ille idem hoc de te,

Jud. 16:

15.

De Bono

amas me, cum animus tuus non sit mecum? *Currite ad illum per illum*, instat Augustinus, *placete illi ex illo,*

19.

*vivite cum illo in illo de illo: affectibus veris & sanctis-
 „simâ castitate à viro tali amate amari. „ Non pariter
 „ & Christum velimus habere & seculum, dissuadet Epist. 24.
 Hieronymus.*

Quæcunque itaque (ut finem huic materiæ imponam) Meditationi non vacarit hactenus, ei imposterum vacet: vis esse bona Dei Ancilla? ausculta quid ille à te, in te & per te velit. Semper sis sollicita Martha in ministerio Domini tui, sed & quotidie sis attenta Maria. Vis esse ei Sponsa grata? conveniens est, ut ejus quotidie colloquium & sanctum commercium ambias, atque ab eo petas, quod tibi etiamnum deesse videris & audieris. Virgines ingredienti-
 quicquid petebant: obtinebis & tu quicquid petieris, cum amplius iste affectet ornatum animæ, quàm hic corporum, qui te vult sanctam corpore & spiritu: delitiare in Domino: quod autem hactenus hæc spiritus delicias non gustaveris, tuâ culpâ contigit: quia scilicet in exteriora nimis effusa es; sapiet ille ubi hæc nauseaveris. *Os meum aperui & attraxi spiritum, quia mandata tua desiderabam. Et: Anima saturata calcabit favum, & anima esuriens etiam amarum pro dulci sumet.* Notat S. Scriptura. *Pa-*
*tuit id in sitibundis Israëlitis, quos constat Dominum aquâ refecisse, de quibus tamen Psalmus dicit, quòd de Petra melle saturavit eos. Denique quod ille tibi suggererit ad profectum tuum, operi quanto-
 cius mancipa, pudeat redire ad eum, si, ubi occasio oblata fuerit, jussa non perfeceris. Scis à Salvatore dictum: Estote vos perfecti, sicut & Pater vester cælestis perfectus est: quod ut fiat, & hic scopus esse de-*
 bet

Hest. 2:
13.

Pf. 118:
131.

Proverb.
27: 7.

80: 17:

Matth. 5:
48.

bet omnis Meditationis tuæ, Pictor tibi imitandus qui, ut effigiem alicujus in tabula exhibeat, contuò prototypon intuetur, illudque coloribus & penicillo sequitur: idem faciendum & tibi quæ divina perfectionis imaginem in animæ tuæ Tabula depinges, in Meditationibus ea inspicienda, penicillo affectuum & desideriorum ea tibi imprimenda. Amor namque aut similes invenit, quod hîc deest; aut similes facit, quod in te requiritur quæ Dei Sponsa est. Quocirca quæ Christo per Virginitatis professionem copulata est, tanquam Sapientiæ ac Verbi Dei Sponsa sapiens ac prudens sit necesse est (quomodo ratiocinatur S. Basilius) ut animi stultitiæ & insipientiæ notâ jugi divinarum rerum meditatione longiùs explosâ, sapientiæ, cui conjuncta est, ornatur pulchritudine. Cùm enim cæteris, qui beati esse student, tum Sponsæ Christi imprimis convenit operationes animæ, quæ per sensus fiunt, ab exterioribus ad interiora convertere, ac Sponsa in intimis thalamis ut Deo, Dei Verbo, perpetuâ dilectione sociari, cum eo colloqui, & in ejus die noctuque Lege meditari, & his quidem, quæ ad Sponsum ducunt Lege scilicet & Evangelio, & si quæ his consona Sponsi decorem exponunt, oblectari, sanctisque intelligentiarum foetibus sapientem ac rationabilem magis ac magis semper evadere, donec æternam Sapientiam sibi penitus jungat, unumque cum eo, cui inhæsit, effecta ex corruptibili fiat incorruptibilis, ex imperita prudens ac sapientissima tanquam Verbi, cui inhæsit, *Costa*, atque (ut breviter dicam) ex homine mortali immortalis Deus sicut ille, cui conjuncta est

L. de Virginit.

omnibus manifestetur., Et hæc de Meditatione, de qua, quæ plura volet, consulat fusissimos aliorum Tractatus, sufficit nobis hæc pauca annotasse.

§. VI.

De Missa.

EXpeditis iis, quæ de Meditatione tradenda erant, sequitur ut tractemus de Missa, cum hæc illam de more apud nos recepto subsequatur, & ad eam quotidie audiendam Regula Virgines constringat: cumque hîc plura dicenda sese offerant, & hunc §. in aliquot partes diffecabimus.

P A R S I.

De Sacro quotidie audiendo.

PRO cuius congruentiâ non coacervo multa argumenta, hoc unico contentus, quòd ibi se præsentem sistat, & salutetur Virginum Sponsus: *Indica mi- Cant. 1:9*
hi, votum erat unius, ubi pascas, ubi cubes in meridie.
Cui si respondendum modò, non remittam aliò, nisi ad Ecclesiam & ad Aram: ibi namque fervet, meridies divini amoris, ibi pascit fideles sibi non alimento alio quàm seipso, ibi cubat quasi præstolabundus ad tuum adventum, quasi anhelus ad tuam visitationem & præsentiam: amas itaque illum? delectaris ejus præsentia? ut certè delectari debes, si verè amas, amor namq; amantium unio est, is non nisi cum summâ impatientiâ tolerat Amati absentiam: patet id in illo qui de se testabatur; *Quemadmodum desiderat Ps. 41:*
Cer- 2. 3.